# [E]XPOSITIO CRITICA DOCTRINAE QUAM KANTIUS DE CATEGORIIS PROPOSUIT.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

QUAM SCRIPSIT

ET AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
[AU]CTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
[IN] UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

**DIE I. MENSIS IULII A. MDCCCLIV.**

PUBLICE DEFENDET

**LUDOVICUS GERKRATH**
AGRIPPINENSIS.



ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
FRIDERICUS CONRADS, PHIL. DR.
EDUARDUS GOEBEL, SEM. PHILOL. SOD. ORD.
GUILELMUS BREUER, STUD. THEOL.



**BONNAE,**
FORMIS J. F. CARTHAUSII.
MDCCCLIV.

Noli foras ire, in te ipsum redi,
in interiore homine habitat veritas.

*Augustinus.*

PETRO KNOODT

PRAECEPTORI CARISSIMO

D.

SCRIPTOR.

# Expositio critica doctrinae, quam Kantius de categoriis proposuit.

Constat, illam philosophandi rationem, quae in fontibus finibusque cognitionis humanae inquirendis versatur, jam in Lockii et Humii disquisitionibus inveniri. Kantius autem primus hoc philosophandi principium, cui critici principii nomen imposuit, subtilius persecutus est. Lockius in cognitionibus nostris excutiendis principium experientiae adhibet et omnes ideas atque cognoscendi leges ex sensatione et reflexione repetit. Qua re factum est, ut Humius, in Lockii de cognitionis origine sententia perstans, judiciis mentis humanae universalitatem (Allgemeingültigkeit) et necessitatem abjudicaret. Humius praecipue notionem causalitatis consideravit, quam ex sola consuetudine ducebat. Nam fieri non posse existimavit, ut illa cogitatio a priori exoriretur.

Initia igitur illius philosophandi rationis, quae in fontibus finibusque cognitionis humanae inquirendis versatur et in qua propria Kantiani systematis natura ex parte quidem constat, in disquisitionibus Lockii et Humii quaerenda sunt.

Altera autem ex parte Kantius ita censebat, menti nostrae inhaerere cognitiones a priori, quae nullo modo ex experientia oriri possent. Qua in re Kantius illam doctrinam de origine cognitionum, quam Cartesius, Leibnitzius, Wolfius defenderant, secutus est. Quam sententiam ea ratione retinuit, quod quaedam cognitiones atque judicia ea universalitate atque ne-

cessitate essent, quae numquam empiricis cognitionibus inesse posset.

Cur autem Kantius existimat, illam de fontibus atque finibus cognitionis disquisitionem instituendam esse, quum cognitiones quaedam a priori nobis insint?

Hoc loco igitur de illa distinctione inter judicia synthetica et analytica mentio nobis facienda est, quae distinctio in systemate Kantii permagni momenti est. Ea judicia, in quibus praedicatum ita cum subjecto conjunctum est, ut jam notione subjecti contineatur, et ejus sola analysi inveniri possit, analytica esse contendit. Iis autem judiciis, in quibus praedicatum prorsus extra subjectum positum est et subjecti et praedicati connexus non analysi sed synthesi efficitur, nomen judiciorum syntheticorum imposuit. Ex quibus alia a posteriori, alia a priori fieri docet. Judicia synthetica a priori sunt principia omnium theoreticarum disciplinarum, mathematicarum, physicarum, metaphysicarum. Illa distinctione inter judicia synthetica a priori et analytica Kantius adductus est, ut philosophandi rationem dogmaticam relinqueret et criticam rationem iniret. Qua re multis locis gloriatur, quod primus certo ac definite illam distinctionem fecerit et Humium magnis laudibus effert, qui intellexerit, causalitatis notione ejusmodi synthesin effici. Ex sententia Kantii fieri non potest, ut a priori intelligamus, quomodo in his judiciis subjectum cum praedicato conjunctum sit, quam ob rem omnium philosophorum dogmaticarum systemata relinquenda sint; atqui tamen Kantius et Humius, qui hac in re consentiunt, eo differunt, quod hic scepticam philosophandi rationem secutus est, quum prorsus fieri non posse existimaret, ut a priori judicia synthetica faceremus, ille autem Humio concedit quidem, hanc synthesin a priori intelligi non posse, sed non negat, eam nullo modo fieri posse et in hac quaestione dissolvenda praecipue versatur, quo modo judicia synthetica a priori facere possimus. Ut hanc quaestionem dissolveret, Kantius fecit illam subtilem distinctionem inter formam et materiam cognitionis. Qua

ratione autem hac distinctione illam quaestionem, quam gravissimam habuit, dissolvit? In qua re explicanda primum maximi momenti est, quod Kantius existimat, nullo modo formam ex rei cognoscendae effectu oriri posse sed a priori in mente inesse. Itaque mentis varias facultates excutit, ut earum formas a priori inveniat. Duae autem mentis facultates primum ei se praebent, sensualitas (Sinnlichkeit) et intellectus, ex quibus conjunctis demum plena perfectaque cognitio efficiatur. In omni enim cognitione et objectum et notionem requiri. Sensualitate nobis objecta praeberi, intellectu cogitari docet. Prorsus autem negligit inquirere, num fortasse ac qua ratione illae facultates inter se cohaereant; satis habet significare, fortasse fieri posse, ut ex communi radice oriantur. Nam praeter ceteras quaestiones in hac quaestione dissolvenda versatur, quo modo judicia synthetica a priori facere possimus. Quam ob rem satis habet, singularum facultatum consideratione inquirere, quibus rationibus nixi illa judicia faciamus. Quo consilio sensualitatem in aesthetica transscendentali, intellectum in logica transscendentali considerat. In aesthetica transscendentali demonstrare studet, duas esse formas intuitionis, spatium et tempus, ex quibus intuitionibus externis spatium, omnibus autem intuitionibus (et externis et internis) tempus, ut conditiones formales, attribuit. Ac primum quidem demonstrare studet, tempus et spatium nullo modo ex experientia oriri. Nam ut coexistentia (Zugleichsein) atque consequentia (Aufeinanderfolgen) percipiatur, jam temporis repraesentationem requiri; atque ut sensationes nostrae ad aliquid extra nos positum a mente referantur et ut juxta se et extra se posita objecta a mente nostra considerentur, jam spatii repraesentatione opus esse. Etiam hac re manifestum esse, spatium et tempus esse repraesentationes a priori, quod, quamquam omnia objecta e spatio et tempore cogitando removere possimus, tamen ipsae spatii et temporis repraesentationes remaneant. Deinde Kantius docet, spatium esse unum. Plura spatia semper intelligi partes unius et ejusdem spatii.

Spatium autem unum atque omnia complectens praecedere spatia particularia, quae limitatione illius efficiantur. Itaque omnibus notionibus de spatio concipiendis intuitionem a priori pro fundamento esse. — Denique spatium infinitam multitudinem repraesentationum continere, quum omnes ejus partes in infinitum simul sint. Itaque spatium esse intuitionem a priori neque notionem; nam fieri non posse, ut notio infinitam multitudinem repraesentationum in se comprehendat. Idem de tempore docet.

Cur autem Kantius existimat, hac doctrina de tempore et spatio intelligi posse, quomodo in mathematicis disciplinis judicia synthetica a priori facere possimus? Quum tempus et spatium intuitiones sint, intelligi posse, quam ob causam ex notione egredi et judicia synthetica facere possimus. Deinde quum tempus et spatium non nisi sensualitatis formae habendae sint, patet, quomodo illae intuitiones a priori, id est, ante apperceptionem objectorum menti inhaereant. Itaque manifestum est, qua ex causa omnes propositiones mathematicae cum ea necessitate cogitentur, quae nunquam empiricis judiciis inesse possit. Quum igitur (ut totam argumentationem complectar) tempus et spatium intuitiones a priori sint, fieri potest, ut de iis a priori judicia synthetica faciamus. — Eodem consilio Kantius in logica transscendentali intellectum examinat. Ut igitur in facultate intuendi intuitiones puras inquisivit, quae omnes intuitiones empiricas praecedunt, ita in facultate cogitandi sive in intellectu puras notiones invenire studet, quibus objecta a priori cogitemus. Quibus notionibus nomen categoriarum imposuit. Quamquam hoc vocabulo Aristoteles praeivit, tamen manifestum est, categoriarum Kantianarum naturam a doctrina Stagiritae adeo esse diversam, ut praeter illud vocabulum paene nihil similitudinis habeant. Nam Aristoteles categorías pro ultimis generibus ipsarum rerum ponit; Kantius autem docet, intellectum esse categoriarum radicem; ob quam causam principalem facultatem intellectus inquirit, ex qua illas notiones ducat.

Quae disquisitio hoc modo instituitur. Intellectus est cogitandi facultas. Cogitare autem nihil aliud est nisi repraesentationes conjungere vel varias repraesentationes uni generaliori supponere. Itaque ceterae omnes functiones intellectus ad judicia revocari possunt. Nam judicia sunt functiones unitatis inter repraesentationes. Judicando enim pro directa repraesentatione generaliorem aliquam, quae hanc atque alias plures complectitur adhibemus. Quum igitur propositum habeamus, inquirere, num in functione intellectus aliquid inveniamus, quod a priori in eo insit, judicia nobis consideranda sunt. Ut autem invenimus, formam, neque materiam esse id, quod in intuendi facultate a priori insit, ita etiam, ut id, quod in intellectu a priori inest, inveniamus, judiciorum formas pro fundamento disquisitionis ponemus. Judicia autem sub titulis quantitatis, qualitatis, relationis, modalitatis comprehendi possunt. Invenimus haec judicia:

1. Quantitatis judicia — universalia, particularia, singularia
2. qualitatis judicia — affirmativa, negativa, infinita
3. relationis judicia — categorica, hypothetica, disjunctiva
4. modalitatis judicia — problematica, assertorica, apodictica

Sed id agimus, ut puras notiones inveniamus, quibus objecta a priori cogitamus. Itaque quaeritur, num illis formis judiciorum etiam illae notiones a priori contineantur, quibus objectorum cognitio fit. Quo consilio Kantius demonstrare studet, functionem judicandi et eam functionem, qua cognitio objectorum fit, easdem esse; quapropter etiam hujus functionis modos formis judiciorum contineri. Ut illam sententiam demonstret Kantius tria distinguit, quibus cognitio efficiatur. Primum requiritur varietas in intuitione pura, quae notionibus intellectus materiam praebet, sine qua inanes sunt. Deinde autem necessarium est, varia illa, ut cognitio efficiatur, con-

jungi; quem actum Kantius synthesin nominat. Haec variorum synthesis est imaginationis (Einbildungskraft) effectus. Denique necessarium est, illam synthesin ad notiones redigi, quae functio intellectus est. Eadem functio, qua unitas logica notionum in judicio efficitur, etiam syntheticam unitatem repraesentationum in intuitione efficit, quae, generatim considerata, est notio pura intellectus sive categoria. Itaque tot categoriae oriuntur, quot formae judiciorum sunt.

| | |
|---|---|
| 1. categoriae quantitatis | 2. categoriae qualitatis |
| unitas | realitas |
| pluralitas | negatio |
| totalitas | limitatio. |
| 3. categoriae relationis | 4. categoriae modalitatis |
| substantia et accidens | possibilitas et impossibilitas |
| causa et effectus | existentia et non-existentia |
| mutuus influxus | necessitas et contingentia. |

Enumeravimus omnes puras notiones intellectus. Sed hoc non sufficit. Praeterea enim transscendentali deductione opus est, qua nobis exquirendum est, quomodo illae notiones a priori, quanquam ab experientia nullo modo petitae sunt, tamen ad objecta referri possint. In qua deductione Kantius hanc rationem sequitur, ut demonstret, categorias esse conditiones a priori, quibus solis experientiae participes fieri possimus. Ut in aesthetica transscendentali id egit, ut demonstraret, puras sensualitatis formas esse conditiones a priori, quibus solis objecta praeberentur, ita in logica transscendentali efficere studet, puras formas intellectus seu categorias esse conditiones, quibus solis fieri possit, ut objecta cogitemus.

Ab eo proficiscitur, quod intellectus solus sit omnis conjunctionis radix. Varia quidem per intuitionem praeberi; variorum autem conjunctionem numquam sensualitate, quippe quae sit facultas receptiva, effici posse sed ab intellectu, qui sit spontanes, proficisci. Itaque nihil in objecto conjunctum cogitari posse, nisi

quod ipsi antea in intellectu conjunximus; quam ob rem Kantius hunc actum intellectus synthesin nominat. Conjunctio autem praeter notionem varietatis etiam notionem unitatis continet. Conjunctio est variorum unitas synthetica. Quae unitas omnes notiones conjunctionis praecedit neque categoria unitatis confundenda est. Nam omnes categoriae, quum judiciorum functiones, quibus notionum conjunctio atque unitas efficitur, pro fundamento habeant, jam conjunctionem atque unitatem exprimunt. Haec igitur unitas, quae omnes notiones conjunctionis praecedit, altius quaerenda est.

Quae unitas est apperceptionis unitas synthetica. Haec cogitatio: ego cogito cum omnibus intuitionibus conjuncta sit oportet, quum aliter non meae intuitiones sint. Itaque variorum, quae intuitione praebentur necessaria relatio est ad cogitationem „ego cogito", quae inest in eodem subjecto, in quo etiam illa varia inveniuntur. Illa cogitatio est actus spontaneitatis. Kantius eam apperceptionem puram, apperceptionem originariam, transscendentalem sui ipsius conscientiae unitatem appellat, puram apperceptionem, ut ab empirica apperceptione, quippe quae ea conscientia sit, quae ad singulas intuitiones sensu datas accedit, distinguatur; apperceptionem originariam, quod ea subjecti de se ipso conscientia est, quae ceteras omnes repraesentationes comitatur et in omni conscientia una eademque est; transscendentalem sui ipsius conscientiae unitatem, quod cogitatio „ego cogito" est principium quo intelligitur, quomodo cognitio a priori fieri possit. Variae enim intuitiones ita tantum meae sunt, ut in una eademque mei ipsius conscientia conjungantur. Itaque necesse est, illas intuitiones, quippe quae meae sint, cum conditione consentire, sine qua fieri non potest, ut in una eademque mei ipsius conscientia comprehendantur. Varias autem intuitiones in una mei ipsius conscientia comprehendere non possum nisi synthetica earum conjunctione. Sine synthesi repraesentationum conscientiae unitas transscendentalis cogitari non potest. Synthetica igitur unitas variorum, quae intuitione praebentur, qua-

tenus a priori data est, fundamentum identitatis apperceptionis mei ipsius est, quae a priori omnem intuitionum cogitationem praecedit. Eo solum, quod varias repraesentationes in una conscientia conjungere possum, fieri potest, ut mihi identitatis apperceptionis in his repraesentationibus ipsis conscius sim, id est: analytica apperceptionis unitas pendet ex synthetica unitate apperceptionis. — Summum igitur cognitionis humanae principium est hoc: „Varia, quae in intuitione inveniuntur, sub conditionibus unitatis syntheticae apperceptionis comprehenduntur.“

Facile autem intelligitur, illas conditiones esse categorias. Nam intellectus est judicandi facultas; judicium autem nihil aliud est, nisi modus, quo datas cognitiones ad objectivam apperceptionis unitatem redigamus. Copula „est“ illam objectivam apperceptionis unitatem exprimit, quae a subjectiva conscientiae unitate diligenter distinguenda est; hac subjectiva conscientiae unitate varia, quae intuitione praebentur, empirice conjunguntur; qua ex causa haec unitas neque necessaria neque constans est. At in illa objectiva unitate varia ad unam notionem objecti conjunguntur. Categoriae autem sunt functiones judiciorum. Itaque intelligimus, categorias esse conditiones, quibus experientiae participes fieri possumus. Eo, quod categorias adhibemus, repraesentationum synthesis necessaria fit. Kantius hoc exemplum affert: „Omnia corpora sunt divisibilia.“ Eo quod corpus categoriae substantiae et divisibile categoriae accidentis suppono, intelligo, corpus in empirica intuitione semper ut subjectum et divisibile semper ut praedicatum considerari. Ut autem prorsus Kantii doctrinam intelligamus, animadvertendum est, objectum ab hac necessitate in synthesi repraesentationum non diversum esse. De qua re Kantius ipse in libro, qui inscribitur: „Kritik der reinen Vernunft“ hoc modo scribit: „Was versteht man denn, wenn man von einem der Erkenntniss korrespondirenden mithin auch davon verschiedenen Gegenstande redet? Es ist leicht einzusehen, dass dieser Gegenstand nur

als Etwas überhaupt = × müsse gedacht werden, weil wir ausser unserer Erkenntniss doch nichts haben, welches wir dieser Erkenntniss als korrespondirend gegenüber setzen könnten.“ et: „Es ist klar, dass die Einheit, welche der Gegenstand nothwendig macht, nichts anders sein könne, als die formale Einheit des Bewusstseins in der Synthesis des Mannichfaltigen der Vorstellungen.“ Quum autem eo solum, quod categorias adhibemus, experientia efficiatur, demonstravimus, notiones intellectus ad objecta adhiberi posse.

Ex nostra expositione etiam elucet, qui sint fines, intra quos categoriae jure adhiberi possint. Objecta enim cogitare et objecta cognoscere, non unum idemque est. Ut cognitio efficiatur duo requiruntur: et notio, qua objectum cogitatur et intuitio, qua objectum praebetur. Si enim notio intuitione prorsus careret, nihil esset, ad quod cogitationem meam adhiberem. Quum autem nos homines non alia ratione, nisi sensualitate intuitionum participes simus, categoriae intellectus eo solum cognitiones fieri possunt, quod eas ad objecta, quae sensibus praebentur, id est ad objecta empirica adhibemus. Cognitionem autem empiricam experientiam dicimus. Itaque manifestum est, categorias id solum efficere, ut experientiam assequamur et ad ea objecta sola adhiberi posse, de quibus experientiam habere possumus. — Denique facile intelligimus, nullo modo mirandum esse, quod intellectus naturae leges praescribat. Si natura esset res a se id fieri non posset. Atqui natura est complexio phaenomenorum, quatenus certas atque immutabiles leges sequuntur; phaenomena autem nihil sunt nisi objectorum repraesentationes; quam ob rem necesse est, ea legibus subjecti cognoscentis obnoxia esse. Itaque Kantius ad extremum scribit: „Die Ordnung und Regelmässigkeit an den Erscheinungen, die wir Natur nennen, bringen wir selbst hinein, und würden sie auch nicht darin finden können, hätten wir sie nicht oder die Natur unseres Gemüthes ursprünglich hineingelegt. Denn diese Natureinheit soll eine nothwendige d. h. a priori gewisse Ein-

heit der Verknüpfung sein. Wie sollten wir aber wohl a priori eine synthetische Einheit auf die Bahn bringen können, wären nicht in den ursprünglichen Erkenntnissquellen unseres Gemüthes subjektive Gründe solcher Einheit a priori enthalten und wären diese subjektiven Bedingungen nicht zugleich objektiv gültig, indem sie die Gründe der Möglichkeit sind überhaupt ein Object in der Erfahrung zu erkennen."

Quamquam autem, ut ostendimus, regio cognitionum nostrarum inter terminos phaenomenorum coercetur, tamen res a se (Ding an sich) nobis ponenda est. Sed quae sit hujus rei a se interna et a subjecto independens natura nullo modo cognosci potest. Nihilominus eam ponimus, quod jam ex notione phaenomenorum sequitur, ut iis aliquid respondeat, quod non phaenomenon est.

Purae autem intellectus notiones mero intellectu in universum tantum ad objecta intuitionis, quae per sensus fit, referuntur; sed nondum discrimen positum est, utrum haec intuitio nostra sit an alia. At nobis inest forma intuitionis a priori (tempus) sine qua nullae repraesentationes objectorum nobis fiunt. Itaque fieri potest, ut unitas synthetica apperceptionis in intuitione, quae nobis fit, cogitetur. Qua re efficitur, ut categoriae ad objecta, quae intuitione dari possunt, adhibeantur. Kantius hanc synthesin speciosam et synthesin transscendentalem imaginationis appellat. Est enim imaginatio facultas, objectum aliquod, quamquam non percipitur (ohne seine Gegenwart) in intuitione repraesentandi. Quum intuitio nostra per sensus fiat, imaginatio ad sensualitatem pertinet; sed ejus synthesis est etiam actus intellectus spontanei, quum sensualitati a priori leges unitatis apperceptionis imponat. Itaque synthesis, quae per eam secundum categorias fit, transscendentalis synthesis imaginationis appellanda est.

Secundum haec principia Kantius doctrinam de sui ipsius conscientia persequitur. Hoc modo scribit: „Ich bin mir meiner selbst in der transscendentalen Synthesis des Mannichfaltigen meiner Vorstellungen überhaupt, mithin in der synthetischen

ursprünglichen Einheit der Apperception bewusst nicht wie ich mir erscheine noch wie ich an mir selbst bin, sondern nur *dass* ich bin.“ Sed necessarium est, ad hoc mei ipsius conscientiam intuitionem accedere; illa pura apperceptionis unitas, quum cogitatio sit, ad mei ipsius cognitionem non sufficit. Itaque Kantius pergit: „Wie zum Erkenntnisse eines von mir verschiedenen Objekts ausser dem Denken eines Objekts überhaupt (in der Kategorie) ich doch noch einer Anschauung bedarf, dadurch ich jenen allgemeinen Begriff bestimme, so bedarf ich auch zum Erkenntnisse meiner selbst ausser dem Bewusstsein oder ausser dem, dass ich mich denke noch einer Anschauung des Mannichfaltigen in mir, wodurch ich jenen Gedanken bestimme.“ Sicut autem Kantius sensum externum ad objecta externa percipienda statuit, ita ad phaenomena interna percipienda sensum internum ejusque formam a priori sumit. Sensus internus autem intuitionum formam tantum, qua praebentur, continet; variorum synthesis hoc ipso non efficitur sed ab intellectu exoritur. Intellectus igitur, quippe qui sit omnis conjunctionis fons, eo actu, quem transscendentalem synthesin imaginationis apellavimus, varia, quae in sensu interno praebita sunt, in unitate conscientiae conjungit. Intellectus non invenit conjunctionem variorum in sensu interno sed conjunctionem eo efficit, quod sensum internum secundum formam ejus afficit. Quum autem sensus internus et forma ejus a priori requiratur, ut mei ipsius intuitio exoriatur, ego qui cogito me ipsum ut objectum cogitatum cognosco, qualis appaream neque qualis a me sim. De qua re Kantius hoc modo scribit: „Ich existire als Intelligenz, die sich lediglich ihres Verbindungsvermögens bewusst ist, in Ansehung des Mannichfaltigen aber dass sie verbinden soll einer einschränkenden Bedingung, die sie den innern Sinn nennt, unterworfen, jene Verbindung nur nach Zeitverhältnissen, die ganz ausserhalb der eigentlichen Verstandesbegriffe liegen, anschaulich machen und sich daher selbst nur erkennen kann, wie sie in Absicht auf eine Anschauung (die nicht intellektuell

und durch den Verstand selbst gegeben sein kann) ihr selbst bloss erscheint, nicht wie sie sich erkennen würde, wenn ihre Anschauung intellektuell wäre.

Hactenus de ratione, qua Kantius sui ipsius conscientiam explicare studet.

Ut autem adumbratio doctrinae, quam Kantius de categoriis proposuit, plena sit, restat, ut exponamus, quomodo categoriae ad phaenomena applicari possint. Intellectus purae notiones cum empiricis intuitionibus nihil similitudinis habent neque unquam in intuitione inveniuntur. Ut igitur categoriae ad phaenomena applicentur, aliquid nobis quaerendum est, quod et cum categoria et cum intuitione consentiat. Cui repraesentationi Kantius nomen schematis transscendentalis imponit. Tempus autem ea repraesentatio est, quae et cum categoria et cum intuitione congruat. Cum categoria tempus eo congruit, quod a priori et universale est; cum phaenomenis autem eo congruit, quum omni empirica repraesentatione tempus contineatur. Secundum categorias haec schemata inveniuntur. Quantitatis schema est numerus. Quum numero quae successive addita sunt, comprehendantur, numerus eo exoritur, quod tempus ipsum in apprehensione intuitionis generatur. Schema realitatis est tempus, quod sensatione impletur; categoriae limitationis tempus, quod plus minusve sensatione impletur, respondet. Ut autem categoria substantiae ad objecta referri possit; requiritur substratum, quod permanet, dum accidentia mutantur. Schema causalitatis est variorum successio, quatenus secundum necessariam legem fit. Schema mutui influxus (Wechselwirkung) est coexistentia determinationum unius substantiae cum determinationibus alterius substantiae. Denique id est possibile, quod temporis conditionibus non repugnat, id existit, quod definito temporis momento apprehenditur; id autem necessarium est, quod omni tempore existit. Summam hujus inquisitionis Kantius his verbis complectitur: „die Schemata sind nichts als Zeitbestimmungen a priori nach Regeln, und diese gehen nach der Ordnung der Kategorien

auf die Zeitreihe, den Zeitinhalt, die Zeitordnung, endlich den Zeitinbegriff in Ansehung aller möglichen Gegenstände.“ —

Totam expositionem doctrinae, quam Kantius de categoriis proposuit, his verbis Kantii, quibus summam disquisitionum explicat, finimus: „Der Schematismus des Verstandes läuft durch die transscendentale Synthesis der Einbildungskraft auf nichts änderes als die Einheit des Mannichfaltigen der Anschauung in dem innern Sinne und so indirekt auf die Einheit der Apperception, als Funktion, welche dem innern Sinne (einer Receptivität) correspondirt, hinaus. Also sind die Schemate der reinen Verstandesbegriffe die wahren und einzigen Bedingungen, diesen eine Beziehung auf Objecte, mithin *Bedeutung* zu verschaffen und die Kategorien sind daher am Ende von keinem andern, als einem möglichen empirischen Gebrauche, indem sie bloss dazu dienen, durch Gründe einer a priori nothwendigen Einheit (wegen der nothwendigen Vereinigung alles Bewusstseins in einer ursprünglichen Apperception) Erscheinungen allgemeinen Regeln der Synthesis zu unterwerfen und sie dadurch zur durchgängigen Verknüpfung in einer Erfahrung schicklich zu machen..... Es fällt aber doch auch in die Augen, dass, obgleich die Schemate der Sinnlichkeit die Kategorien allererst realisiren sie doch selbige gleichwohl auch restringiren d. h. auf Bedingungen einschränken, die ausser dem Verstande liegen (nämlich in der Sinnlichkeit).... Die Sinnlichkeit realisirt den Verstand, indem sie ihn zugleich restringirt.“ —

In doctrina Kantii excutienda haec ratio mihi optima esse videtur, ut ab illa parte systematis incipiam, quae quasi ejus cardo est, dico ejus doctrinam de synthetica apperceptionis unitate. Kantii studium in eo collocatum erat, ut inquireret, quomodo cognitio effici posset. Quum autem a disquisitionibus Lockii et Humii profectus esset, certum habuit, unam tantam esse rem, de qua mens experientiam assequeretur et eam esse naturam. Itaque naturam et mentem ut objectum et subjectum

distinxit. Quorum rationem secundum elementa judicii logici ita definivit, ut illud id esset, cui praedicata attribuerentur, hoc autem id, quod praedicata attribueret. Objectum igitur et subjectum vel natura et mens ut judicii logici subjectum et praedicatum se habent.

Quum autem Kantius existimaret, naturam esse objectum et mentem esse subjectum factum est, ut prorsus negaret, mentem in se ipsa objectum habere vel se objectum facere posse. Itaque necessarium habuit, omne objectum menti e mundo externo (durch die Sinne) praeberi. Tum mens (τὸ ego) ad objectum accedit et in eo suas et intuendi et cogitandi formas imprimit. Kantius igitur docet, mentem esse a priori naturae subjectum (apriorisches Subject der Natur.) Qui autem hanc sententiam tenet, nunquam explicare potest quomodo *cogitatio: ego* vel *sui ipsius cogitatio* (sui ipsius conscientia) exoriatur. Kantius existimavit, cogitationem: ego esse cogitandi functionem, qua varietas intuitionum ad unitatem apperceptionis conjungeretur. Primum autem manifestum est, hac sententia nullo modo explicari posse, qua ratione illius functionis *scientia* oriatur. Nam qua de causa illud subjectum, quod objectorum *externorum* tantum subjectum est, iterum illam conjunctionis functionem sibi objectum redderet? Praeterea cogitatio: ego est cogitatio de ente reali et causali. Kantius autem explicare non potest, quo modo illa formali functione cogitatio de ente reali et causali oriatur.

Quum autem Kantius mentem subjectum tantum haberet, in quo formae a priori inessent, non potuit, quin etiam ad phaenomena interna percipienda sensum internum ejusque formam a priori poneret, sicut sensu externo explicare studuerat, quomodo intuitiones externae praeberentur. Sed nullo modo intelligi potest, quo jure Kantius sensum internum ponat, ut phaenomena nostra interna percipere possimus. Eo quod Kantius suam distinctionem inter objectum et subjectum etiam in phaenomenis *internis* adhibet, mens ita divellitur, ut intelligi nequeat, quomodo τὸ ego illa phaenomena ad se

ipsum referre possit. Kantio igitur non contigit, ut cogitationem: ego explicaret; nam non vidit modum, quo sui ipsius conscientia efficitur; quem modum igitur exponemus.

Ut jam supra monuimus, sui ipsius conscientia explicari non potest, si mens subjectum tantum habetur, cujus immediatum objectum est natura. Nam non est, cur mens, si objecta externa tantum ejus objecta sunt, illas cogitationes, quae eo exoriuntur, quod externum quoddam internum fit, iterum sibi objecta reddat. Quod in eo solum positum esse potest, quod mens in se ipsa objecta habet.

Ut autem ipsius conscientiam penitus perspiciamus, primum conditiones, sub quibus sui ipsius conscientia exoriatur, nobis diligenter exquirendae sunt. Experientia docet, neminem ad sui ipsius conscientiam pervenire, quin consuetudinem cum aliis hominibus, qui jam ad sui ipsius conscientiam pervenerunt, habeat; aliorum hominum impulsus requiritur, ut aliquis ad sui ipsius conscientiam veniat. Ratio autem, qua ille impulsus fit, est fere semper linguae usus. Prorsus falsum est, quod Kantius in initio „criticae rationis purae“ scribit: „Wodurch sollte unser Erkenntnissvermögen zur Ausübung erweckt werden, geschähe es nicht durch Gegenstände, die unsere Sinne rühren?“ Quam ob rem Kantius hoc posuerit, facile intelligi potest. Nam profecto si mens subjectum naturae est, cur ejus cognoscendi facultas non excitetur, si objecta adsunt? Sed *sui ipsius conscientiam* naturae impulsus excitare nequit. Ut autem mens impressionem quandam (Eindruck) accipiat, necesse est, eam in illum impulsum (Anregung), qui ab hominibus jam ipsorum consciis proficiscitur, reactionem facere; qua re interna impressio exoritur. Mentis autem reactio naturam *spontaneitatis* (Freithätigkeit) habet, sicut apparet ex altero momento, quod accedit, ut sui ipsius conscientia oriatur. Illa enim phaenomena receptive-spontanea referuntur et quidem ad ens, cujus phaenomena sunt; qua relatione illa phaenomena objecta fiunt. Ens autem, ad quod phaenomena referuntur, etiam refert. Itaque illis

phaenomenis se subjicit vel subjectum fit. Id igitur quod scit et id quod scitur in mente ad unum principium pertinent. Immediata enim objecta cogitantis sunt ejus phaenomena receptive-spontanea; et cogitans ipse est ens, ad quod haec phaenomena referuntur. Mei ipsius igitur eo conscius sum, quod de me scio ut de subjecto reali et formali objecto et objectum ad subjectum refero; vel: cogitatio: ego est relatio receptivitatis et spontaneitatis ad unum earum principium. Neque receptivitas ex spontaneitate neque spontaneitas ex receptivitate duci possunt; attamen me ipsum ut earum unum atque idem principium cogito.

Intelligimus, eos prorsus errare, qui volunt, *τὸ ego* ipsum esse *immediatum* objectum. Cui sententiae sui ipsius conscientia prorsus repugnat. Nam nemo se intueri potest. Si illa sententia recta esset, necessarium esset, duplicem sui ipsius conscientiam oriri. Nam si *τὸ* ego vel illa una atque indivisa substantia bis poneretur, etiam bis de se ut de subjecto sciret; quod sui ipsius conscientiae, in qua de uno tantum subjecto scitur, repugnat. Itaque *τὸ* ego ipsum eo solum, quod *phaenomena sua* sibi objecta reddit, sibi objectum fit; eo quod ens phaenomenis suis, quae ejus immediata objecta sunt, se subjicit, ens ipsum objectum fit.

Elucet igitur, cogitationem: ego esse conclusionem (Schluss) et quidem conclusionem metaphysicam s. metalogicam, quae a conclusione logica distinguenda est. Nam haec cognitio: ego sum non ex eo pendet, quod cognosco: omne quod cogitat est; sed hoc modo me esse cogito, quod phaenomena receptive-spontanea ad ens, quod in iis se manifestat, refero. Cogitationem: ego autem hac ex causa conclusionem appellamus, quod ex phaenomonis ens colligitur. Primum haec conclusio ex eo pendet, quod ens illis phaenomonis se *manifestat.* Deinde autem ens, quum illa phaenomena *sibi objecta* facere possit, ad se ipsum redit et se ipsum, cogitat. Cogitatione: ego igitur processus ad finem perducitur, quum ens procedens ad se ipsum redeat, se ipsum cogitet.

Respiciamus ad doctrinam, quam Kantius de cogitatione: ego proposuit. Ut ostendimus, Kantius non explicat, quo modo cogitatio: ego, quippe quae sit cogitatio de ente reali oriatur. Nos autem intelligimus, quomodo entis cogitatio oriatur; eo scio, me esse, quod me ipsum ut entem ex phaenomenis assequor. Deinde etiam intelligi non potest, quomodo phaenomena interna sensu praebeantur. Itaque ea sola conditione sensum internum probare possumus, ut cum sui ipsius conscientia in unum cadat.

Praeterea adversus Kantium nobis ponendum est, me scire, qualis *a me* sim, et quidem eo, quod scio, qualis *appaream*. Nam quum phaenomena menti ipsi inhaereant et mentis ipsius manifestationes sint, etiam jure ex iis colligo, quale sit principium manifestans. Ut igitur sciam, qualis a me sim, non opus est intuitione *intellectuali*. Nam quamquam non ipsum ens intuemur, tamen ex manifestatione naturam entis ipsius colligere possumus. Illa intuitio intellectualis esset forma, qua deus ad sui ipsius conscientiam venit. Nam quum mere spontaneus sit, fieri potest, ut ipsum ens reale objectum reddat.

Intelligimus igitur, hanc rationem mentis et naturae non ponendam esse, ut natura sit objectum et mens sit subjectum. Quae sententia diligentiori consideratione sui ipsius conscientiae refutatur. Cognovimus enim, mentem jam in se ipsa objecta habere (quam ob rem negamus, naturam esse mentis immediatum objectum) et sui ipsius cognitionem in eo consistere, ut principium phaenomena, quae in se invenit, ad se referat; qua relatione se subjectum et objectum cogitat. Quamquam ad illam cognitionem sequentes philosophi non per venerunt, tamen objecti et subjecti substantialem unitatem philosophiae principium statuerunt. Ed id jure. In hac autem re a vero mihi aberrasse videntur, quod naturam esse objectum et mentem esse subjectum contenderunt, qua sententia commoti naturae et mentis substantialem unitatem statuerunt.

Quamquam autem multis in rebus doctrinae, quam Kan-

tius de mente proposuit, assentire non possumus, tamen Kantius valde laudandus est, quod eam doctrinam de origine cognitionum, quam nos sensualismum dicimus, reliquit. Nam quamquam mentem subjectum naturae habuit, tamen fieri non posse existimavit, ut mens cognoscendi leges ex natura ipsa hauriret, sed illas leges ex mente originem ducere contendit. At quum ex Kantii sententia mens subjectum tantum esset, quod objectum extra se habet et cogitatio: ego cogitatio de hoc subjecto esset, Kantius id agere non potuit, ut categorias ex cogitatione: ego duceret. Kantius in expositione categoriarum formas judiciorum quasi duces secutus est. Quam parum autem illae cogitationes, quibus experientiam assequimur, formis judiciorum logicorum responderent, ipse nonnunquam intellexit. Praecipue manifestum est, quam coacta sit illa ratio, qua Kantius categoriam mutui influxus (Wechselwirkung) in judicio disjunctivo apparere demonstrare studuit. Tam saepe ad hanc rem redit, ut manifestum sit, ipsum intellexisse, quam mira esset illa ratio. Sed etiam e ceteris judiciorum logicorum formis categoriae nullo modo duci possunt. Nam judiciis logicis singularia vel particularia universalioribus notionibus supponimus. Nullo modo autem categoriae, quippe quae sint cogitationes de ente ejusque relationibus ex formis judiciorum logicorum duci possunt; sin in judiciis categoriae apparent, ejus radix alibi quaerenda est. Quae radix e nostra sententia cogitatio: ego est. Itaque etiam ex hac cogitatione omnes categoriae deducendae sunt. Iam exposuimus, qua ex causa Kantius categorias ex cogitatione: ego ducere non potuerit; quod ex doctrina, quam Kantius de hac cogitatione: proposuit, sequitur. Quum autem nos aliam de cogitatione: ego doctrinam posuerimus, etiam nostra de categoriis earumque deductione doctrina a sententia Kantii diversa est. Kantius existimavit, mentem nihil aliud esse nisi subjectum, cui formae inessent, quae, quum a se ipsis spectatae inanes essent, materiam requirerent, quam iis sensus praeberent. Nos autem intelligimus, necesse non esse, menti objectum e mundo externo prae-

beri sed in se ipsa objecta (phaenomena receptive-spontanea) habere, et sui ipsius cogitationem in eo consistere, ut mens illa objecta ad se ipsam referat, qua relatione se ipsam ut subjectum et objectum inveniat; me ipsum eo cogito quod phaenomena receptive-spontanea ad ens, quod in iis se manifestat, refero. Qua relatione phaenomenorum ad ens illae variae cogitationes apparent quas categorias dicimus. Nostra igitur sententia a doctrina, quam Kantius de categoriis proposuit, primum eo differt, quod nos existimamus, categorias ex cogitatione: ego deducendas esse. Deinde eo a Kantio dissentimus, quod nos categorias formas entis (Seinsformen) habeamus, quum cogitatio: ego cogitatio de ente sit. Sed inquiramus, quomodo categoriae mentis ex illa cogitatione: ego deducendae sint.

Quum non semper nostri conscii fuerimus, nos, qui jam nostri conscii sumus, ad aliquid, quod nondum conscium est, referendi sumus. Mens cognoscit, se non semper causam illorum objectorum fuisse, quorum causam se esse cogitat; mens igitur cogitat, se prius fuisse quam objecta habuerit, se fuisse sine objectis. Praeterea mens cognoscit, se non semper illa phaenomena ad se retulisse, id est, se non semper de se consciam fuisse. Itaque concedendum est, mentem aliquando neque objectum neque subjectum fuisse. Mens igitur aliquando indefinita (unbestimmt) fuit. Qua expositione elucet, mentem, quum quidem definita sit, sed necessario cogitet, se non semper definitam fuisse, se, quae jam definita est, ad ens quod nondum definitum est, referre. Indefinitum autem ens solo alius entis impulsu atque auxilio ad conscientiam venire potest. Nam si per se ipsum sui ipsius conscium fieret, intelligi non posset, cur non semper sui conscium fuisset. Ut autem jam supra exposuimus, non sufficit naturae impulsus sed requiritur principium, quod jam sui ipsius conscium est, ut mens ad manifestationem excitetur. Quum igitur mens nonnisi impulsu alius principii ens definitum fieri possit, manifestum est, mentem esse finitam (beschränkt). Praeterea autem mens,

quum cognoscat, *manifestationem suam* pendere ex impulsu alius principii, non potest, quin cogitet, se etiam, ut *sit* (in seinem Sein) ex alio principio pendere, se esse positam (bedingt). Causa enim, cur mens ex aliorum principiorum impulsu pendeat, ut se manifestet, in eo solum esse potest, quod ejus ens ipsum positum (bedingt) est. Mens igitur negat, se esse ens absolutum, et affirmat, se esse per aliud ens vel ens positum. Denique mens, quum et per aliud *sit* et alius principii impulsu se *manifestet*, harum cogitationum conjunctione ens relativum (endliches Sein) intelligitur. Qua expositione demonstravimus, mentem, priusquam se manifestet, esse quidem ens reale, sed ens reale cui negatio insit. Nam mens negat, se esse originarie definitam, negat ergo, se per se solam fieri definitam, negat, se esse ens absolutum. Quae categoriae realitatis et negationis a Kantio inter categorias qualitatis referuntur; sed etiam categoriae relationis habendae sunt.

Quatenus autem mens phaenomena in se invenit, ex quibus alia juxta alia et alia post alia sunt, ad *existentiam* pervenit; qua re *quantum* (eine Grösse) factum est; quum autem eo ad existentiam venerit, quod de se scit, non solum quantum est sed etiam definitam *qualitatem* habet.

Transeamus igitur ad categorias qualitatis, quas eodem modo quo ceteras eo inveniemus, quod cogitationem: ego consideramus. Intelleximus, mentem de se consciam, esse et subjectum et objectum et objecti atque subjecti identitatem. Quae igitur categoriae statuendae sunt, quatenus mens subjectum est? Tres categorias assequitur mens, quatenus est subjectum, substantiam, causam, unitatem. Nam primum subjectum in se ipso subsistit. Objectum enim, quum referatur, non in se ipso subsistit; subjectum autem, quum id sit, ad quod objectum referatur, in se subsistens (substantia) cogitatur. Subjectum quidem etiam ad ens indefinitum refertur; sed quum haec relatio in eo consistat, ut *ens definitum* ad idem *ens indefinitum* referatur, subjectum hac relatione substantialitatem nullo modo amittit.

Deinde necessario subjectum cogitat, se esse *causam*. Subjectum enim non solum in se subsistens est sed etiam id est, *per* quod objectum est, quum id sit, ad quod illud objectum referatur. Subjectum id est, per quod objectum *effectum* est vel subjectum est illius objecti *causa* et objectum ejus *effectus* (Wirkung) est. Quamquam autem subjectum cogitat, se esse causam illorum objectorum (phaenomenorum), tamen non cogitat, se esse causam ad ea efficienda sufficientem, sed, quum impulsu aliorum ad manifestationem excitatum sit, cogitat, se *cum* alio, a quo ille impulsus proficiscitur, phaenomenorum suorum causam esse. Postremo subjectum est unitas et quidem unitas *realis,* quum ejus differentia (Differenzirung) non sit realis sed *formalis*. Nam duarum *facultatum* tantum differentia in mente exoritur.

Quatenus autem mens objectum est, invenimus categorias accidentium, effectuum, facultatum (Kräfte) dualitatis (Zweiheit) pluralitatis (Vielheit) totalitatis (Allheit). Ex dualitate pluralitas eo exoritur, quod mens multos atque varios impulsus accipit et vario modo in eos reactionem facit; totalitas autem eo, quod mens varia phaenomena sua complectitur atque ad se ipsam refert.

Objectum autem et subjectum ad unum tantum principium pertinent; qua ex causa objecti et subjecti identitatem statuimus. Quod non ita intelligendum est, quasi nulla differentia sit inter objectum et subjectum, sed ea ex causa illam identitatem statuimus, quod *unum principium* et objectum et subjectum est. Quum autem consideratione cogitationis: ego intelligamus, objectum et subjectum, causam et effectum, unitatem et pluralitatem, substantiam et accidentia ad unum tantum principium pertinere, etiam illam quaestionem, quomodo judicia synthetica facere possimus, melius nos quam Kantius dissolvere possumus. Cogitatione: ego re vera illae differentiae apparent. Nam mentis objectum differt a subjecto, mens, quatenus est causa, non est effectus et quatenus est substantia non est accidens; attamen statim hae differentiae cogitatione: ego

ad unum tantum principium referuntur, quam ob rem jure illas cogitationes conjungimus. Etiam elucet, nos *a priori* hanc conjunctionem facere posse, quum in *mente ipsa* hae differentiae oriantur et tollantur. Kantius non intellexit, mentem ipsam esse principium, quod in se illas distinctiones faciat atque se ipsum in iis conservet. Ut ostendimus ex sententia Kantii categoriae sunt formae cogitandi a priori, quibus phaenomena, quae sensibus praebentur, ad unitatem conjunguntur. Itaque nullo modo intelligere potuit, quomodo in rebus ipsis substantia cum accidentibus, causa cum effectu cohaererent atque conjungerentur. Nos autem intelleximus, cogitationem: ego esse cogitationem, qua ens se phaenomenorum suorum causam cogitat. Quam cogitationem ideam appellamus. Cogitatio: ego igitur est idea primaria.

Categorias possibilitatis, existentiae (Wirklichkeit) necessitatis, contingentiae (Zufälligkeit) Kantius ex judiciis modalitatis duxit. Has cogitationes formali ratione consideravit. Nam ita scribit: „Der problematishe Satz ist derjenige, der eine logische Möglichkeit (die nicht objectiv ist) ausdrückt d. i. eine freie Wahl, einen solchen Satz gelten zu lassen, eine bloss willkürliche Aufnahme desselben in den Verstand. Der assertorische sagt von logischer Wirklichkeit oder Wahrheit, wie etwa in einem hypothetischen Vernunftschluss das Antecedens im Obersatz problematisch, im Untersatz assertorisch vorkommt und zeigt an, dass der Satz mit dem Verstande nach dessen Gesetzen schon verbunden sei. Der apodiktische Satz denkt sich den assertorischen durch diese Gesetze des Verstandes selbst bestimmt und daher a priori behauptend und drückt auf solche Weise logische Nothwendigkeit aus."

At hae cogitationes etiam realem vim habent et causalitatis categoriae supponendae sunt. Primaria autem cogitatio causalitatis a cogitatione: ego non differt. Eo autem cogito, me existere (dass ich ein Wirkliches bin) quod me, qui subjectum et objectum sum, ad potentiam tanquam causam refero. Deinde, quum impulsus aliorum principiorum, quae

jam ipsorum conscia sunt, requiratur, ut mens se manifestet, ejus manifestatio possibilis est; mens autem ipsa est realis potentia, quod nondum in ea differentiae spontaneitatis et receptivitatis apparuerunt. Praeterea quum illa realis potentia non per se sit, etiam hac ex causa mens categoria possibilitatis se cogitat. Nam priusquam deus menti realitatem det, mens dei idea est et hac ex causa possibilis. Postremo etiam tum quum mens ad conscientiam pervenit, multa sunt, quae ex legibus mentis necessariis neque postulantur neque vetantur.

Praeterea categoria spontaneitatis (Freithätigkeit) inter categorias causalitatis ponenda est. Prima reactio, quam mens in impulsum, quem recipit, exercet, fortuita quidem est neque non sequi potest; attamen illa reactio hujus modi est, ut principium ipsum se conservet et apud se maneat. Impulsus igitur nil nisi *impressio interna* fit. Eo autem quod mens in impulsum ita reactionem facit, ut se ipsam conservet, fieri potest, ut phanomena sua sibi objecta reddat et se ut subjectum inveniat. Illi reactionis rationi nomen spontaneitatis imponimus. Mens autem eam rationem, qua primum definita facta est, mutare non potest; manet igitur causa spontanea. Quamquam necesse est eam in impulsus reactiones facere, tamen ratio et modus reactionum ex ipsa pendet.

Processus autem, quo sui ipsius conscientia efficitur certa ratione vel secundum certas atque immutabiles leges fit; qua ex causa eum necessarium esse intelligimus. Neque si mens jam de se scit, spontaneam reactionis naturam tollere potest; necesse est, omnes ejus reactiones spontaneitatis naturam habere. — Contingens autem id est, quod ex legibus necessariis principii non sequitur. — Praeterea categoria mutui influxus (Wechselwirkung) in numero categoriarum causalitatis ponenda est; mens autem sub categoria mutui influxus praecipue ideo se cogitat, quod neque reactiones sine impulsibus neque impulsus sine reactionibus fieri possunt, sed hae ex illis et illae ex his pendent.

Etiam cogitatio finis, cujus Kantius in expositione cate-

goriarum rationem non habuit, ex cogitatione: ego ducenda et inter categorias mentis numeranda est. Mens finem habet, quum *primitus* ens *indefinitum* sit.

Finis autem mentis in eo consistit, ut ad cogitationem: ego veniat. Quod non ita intelligendum est, quasi mens eo quod ad cogitationem: ego venit, *summum* finem assecutus sit. Sed cogitatio finis jam ex cogitatione: ego exoritur. Cum categoria finis cogitationes fiendi (Werden) mutationis (Veränderung) motus (geistige Bewegung) arctissime cohaerent. Nam ens indefinitum finem suum eo solum assequi potest, quod fit. Quod autem fit, etiam commutatur. Mutatio autem sine motu cogitari non potest. Motus a mente abjudicari nequit; si a mente abjudicaretur, etiam mutatio ab ea abjudicanda esset. Mentis autem motus a motu naturae prorsus differt; ille pendet ex receptivitate et spontaneitate, quibus et ad se et ad cetera omnia se movere potest. Postremo ex nostra sententia etiam tempus et spatium categoriae sunt, quae ex cogitatione: ego pendent. In qua re valde a Kantio dissentimus. Kantius existimavit, spatium et tempus esse formas intuendi. Distinxit enim a categoriis seu formis cogitandi formas intuendi, cui distinctioni magnam vim attribuit. In libro, qui inscribitur: „Prolegomena zu einer jeden künftigen Metaphysik" haec scribit: „Es gelang mir erst nach langem Nachdenken die reinen Elementarbegriffe der Sinnlichkeit von den Formen des Verstandes mit Zuverlässigkeit abzusondern" et in libro, qui inscribitur: „Kritik der reinen Vernunft" Aristotelem vituperat, quod in categorias nonnullos sensualitatis modos receperit. Deinde Kantius existimavit, experientiam *internam* fieri posse sine spatio et soli experientiae *externae* spatium attribuit. In quibus rebus valde errasse mihi videtur. Nam tempus et spatium momenta sunt, in quibus mens ad manifestationem venit.

Ostendimus, in mente differentiam fieri inter receptivitatem et spontaneitatem. Receptivitas et spontaneitas inter se contrariae sunt, neque fieri potest, ut una ex altera deducatur.

Ut autem impressiones exoriantur, necesse est, receptivitatem non intermittere, dum spontaneitas agit. Itaque manifestum est, unam juxta alteram in mente esse. Quod spatium mentis est. Praeterea autem elucet, spontaneitatem receptivitatem sequi; nam primum mens recipit et deinde reactionem facit. Qua ex re etiam tempus menti attribuendum est. Tempus igitur et spatium non inanes formae sunt sed momenta in quibus principium se manifestat. Patet autem, tempus et spatium mentis ex receptivitate et spontaneitate pendere. Receptivitas autem et spontaneitas ab eo proficiscuntur, quod mens finita (beschränkt) est. Itaque necesse est, etiam in ceteris omnibus finitis principiis tempus et spatium apparere. Nam omnia finita principia et impulsus recipiunt et in eos reactiones faciunt. Sed ex *diversitate* principiorum et eorum receptivitatis et reactionis etiam tempus et spatium *diversa* sunt. Sin hujus rei rationem non habemus, *quales* sint receptivitas et reactio et *qualia* sint phaenomena, quae ex iis pendent, temporis et spatii formales notiones (abstrakt formale Begriffe des Nach- und Nebeneinander) exoriuntur.

Exposuimus categorias, quae ex cogitatione: ego exoriuntur. Sed eo, quod mens de se scit, nondum omnino sibi manifesta est; mens cogitatione: ego quidem cognoscit, se esse causam, sed nondum omnino ei manifestum est, quae causalitatis ratio ei propria sit. Quod tum demum cognoscitur, quum mens libere inter duo contradictoria eligit. Invenimus igitur categoriam liberi arbitrii (Wahlfreiheit). Cur haec categoria in philosophia theoretica Kantii nullum locum habere potuerit, facile intelligi potest. Quum objectum, cujus cognitionem Kantius assequi voluit, esset natura, nullam aliam nisi *naturae* causalitatem in philosophiam theoreticam recipere potuit. Lex autem naturae est necessitas; fieri non potest, ut alio modo agat quam quo agit; omnes ejus effectus necessarii sunt. Qui igitur existimat, ea sola conditione causalitatis legem realem vim habere, ut effectus causam ratione necessaria atque immutabili sequatur, non potest, quin contendat, eum causali-

tatis modum, quo libere inter duo contradictoria eligitur, intelligi non posse neque in theoretica philosophia ullum habere locum.

Restat, ut inquiramus, num unam principalem categoríam (Grundkategorie) inveniamus, ad quam ceterae omnes revocandae sint. Kantius secundum formas judiciorum categorias quantitatis, qualitatis, relationis, modalitatis distinxit neque operam dedit, ut talem primam categoriam inveniret. Patet autem, *relationem* esse illam categoriam principalem. Categoriam relationis mens in se ipsa invenit, quum cogitatio: ego eo exoriatur, quod phaenomena receptive-spontanea ad ens, quod in iis se manifestat, referuntur. Ceterae omnes categoriae ad categoriam relationis inter phaenomena et ens revocari possunt.

Relatio enim inter ens et phaenomena variis modis considerari potest et categoriae sunt varii modi, quibus relatio inter ens et phaenomena consideratur.

Relatio inter ens et phaenomena est etiam relatio inter substantiam et accidentia, causam et effectum, unitatem et pluralitatem, subjectum et objectum. Si animadvertimus, phaenomena enti inhaerere, relatio inter ens et phaenomena fit relatio inter substantiam et accidentia; si observamus, phaenomena ex ente pendere, cogitatio causalitatis exoritur. Praeterea phaenomena duo et plura sunt, ens autem unum in illis phaenomenis se cogitat. Denique si consideramus, phaenomena referri (cogitari) ens autem id esse, quod phaenomena ad se refert, (cogitat), cogitationes objecti et subjecti exoriuntur. Categoriae autem possibilitatis, existentiae, spontaneitatis, necessitatis, contingentiae, liberi arbitrii sunt varii modi relationis inter causam et effectum. Etiam categoria mutui influxus (Wechselwirkung) causalitatis categoriae supponenda est. Illae autem relationes eam ob causam fiunt, ut mens finem suum assequatur vel ad cogitationem: ego veniat; quam ob rem etiam finis categoria in categoriis relationis ponenda est. Denique relatio inter ens et phaenomena ducit ad mutationem

motum, tempus, spatium. Itaque etiam hae categoriae relationis categoriae supponendae sunt.

Quum autem relatio, quam mens in se ipsa habet, sit relatio receptivitatis et spontaneitatis ad ens, mens etiam relationem habet ad alia principia. Quum autem mens cogitet, se ex impulsu aliorum principiorum pendere, se esse finitam, non potest, quin etiam cogitet, se non per se esse. Itaque ei ponendum est ens absolutum, quod per se est. Etiam ad ens absolutum mens varias relationes habet. Ostendimus igitur relationem esse principalem mentis categoriam.

Restat, ut demonstremus, categorias, quas mens in se invenit, etiam ad cetera omnia principia adhibendas esse. Qua re demum id efficiemus, ut demontremus, categorias esse omnis cognitionis principia (allgemeine Prinzipien der Erkenntniss). Sed quomodo ad alia principia venimus?

Quum mens cognoscat, se esse receptive-spontaneam, fieri non potest, quin praeter se ipsam etiam aliud principium sui ipsius conscium ponat. Nam necesse est, illum impulsum, quo mens ad manifestationem adducta est, ad aliud principium a mente referri, quum fieri non possit, ut mens eum ad se ipsam referat. Sed etiam, *quale* hoc principium sit, cogitat. Nam quum iis solis principiis, quae jam ad cogitationem: ego venerunt, mens impellatur, non potest, quin hunc impulsum ad principia, quae cogitationem: ego jam habent, referat. Ex qua re elucet, mentem iisdem categoriis, quibus se ipsam cogitat, etiam alia principia relativa quae ad cogitationem: ego venerunt, cogitare.

Sed etiam quaedam cogitationes in me se offerunt, quarum causam neque me ipsum neque aliud principium, quod sui ipsius conscium est, ponere possum. In quarum numero ponimus sensuum perceptiones (Sinneswahrnehmungen), imaginationes (durch Thätigkeit der Einbildungskraft vermittelte Vorstellungen), schemata (Gemeinbilder), quae ad objecta externa et ad sensus referimus. Eo autem, quod mens phaenomena quaedam ad *se* refert, cogitat *se* eorum causam realem

esse; eo igitur, quod illa phaenomena, quae memoravimus, ad objecta externa et ad sensus refert, negat, se esse eorum causam realem. Non autem fieri potest, ut mens *neget*, se esse eorum causam, quin eorum causam realem *ponat*. Quum igitur mens non se ipsam illorum phaenomenorum causam ponat, eorum alia realis causa ei ponenda est. Realis autem causa ibi est, quo phaenomena referuntur. Illa autem phaenomena una ex parte ad objecta externa referuntur. Itaque objecta externa eorum causam objectivam esse, menti cogitandum est. Deinde autem illa phaenomena etiam ad sensus, quibus objecta externa percipiantur, referuntur. Mens quidem illas sensuum affectiones etiam ad se refert; mens cogitat: *ego* sensibus percipio; attamen non cogitat, se esse earum *causam*; nam negat, se esse earum causam et corpus sensuale earum causam ponit. Itaque mens illas affectiones eatenus tantum ad se refere potest, quatenus cum illa affectionum causa in unitate *formali* conjuncta est.

Menti igitur cogitandum est, sensus esse illorum phaenomenorum causam subjectivam. Invenimus igitur aliquid, quod scit, et aliquid, quod scitur, subjectum et objectum; res externae enim sciuntur et corpora sensualia sciunt. Mens autem quum cogitet, illa duo esse subjectum et objectum, non potest, quin ea ad unum principium unamque causam realem referat. Objecti enim et subjecti cogitationes ex sui ipsius conscientia exoriuntur; et mens subjectum et objectum non cogitat, quin se esse eorum unum principium cogitet. Itaque mens etiam perceptionum, imaginationum, schematum subjectum et objectum ad unum principium, cui nomen naturae imponit, refert. Quum autem cogitet, naturam esse principium, quod objectiva ratione et subjectiva ratione se manifestet, non potest, quin etiam ceteras omnes categorias, quae cogitationibus principii atque manifestationis continentur, ad naturam cognoscendam adhibeat. Quo modo mens illa momenta, quae in natura insunt, quorum cognitionem autem natura assequi non potest, invenit. Quum autem natura sit principium, quod a

mente prorsus diversum est, patet, categorias mentis in cognitione naturae *immutandas* esse. Natura enim non existit in unitate reali sed in divisione reali; non formalis differentia exoritur, sed principium ipsum dividitur. Principium naturae, si objectum fit, in multas partes dividitur, ex quibus una *extra* alteram est. Itaque quum naturae principium non unum *post* (hinter) phaenomena maneat sed unum *in* phaenomenis fiat, ejus cogitatio sive conscientia in eo consistere non potest, ut principium de se ipso sciat. Mens eo solum de se scit, quod ejus differentia formalis est, qua re fieri potest, ut se ipsam *post* phaenomena inveniat. Id autem principium, quod ita objectum fit, ut unum *in* multis sit, si subjectum fit, nihil aliud quam illa multa atque varia in formali unitate comprehendit. Mens igitur se realem unitatem formalis pluralitatis (reale Einheit in formaler Vielheit) cogitat, natura autem cogitat formalem unitatem realis pluralitatis (formale Einheit bei realer Vielheit). Intelligimus igitur, naturae principium ejusque conscientiam menti ejusque cogitationi contradictorie esse opposita. Hanc cogitationem ideam (Idee) appellamus; illa autem formalis unitas in schemate et in notione invenitur. Sola mens quidem notiones formare potest, sed notionibus formandis non eum cogitandi modum, qui ei proprius est, exercet, sed continuat, quae natura incepit et quidem ea ratione, quam natura praecepit. Quum autem naturae principium ejusque cogitatio menti ejusque conscientiae contradictorie opposita sint, patet, omnes mentis categorias, si ad naturam adhibentur, *immutandas* esse. Naturae categorias plene atque perfecte exponere ad propositum nostrum non pertinet; sufficit, quod significavimus, quomodo ex nostra sententia doctrina de categoriis naturae tractanda sit.

Etiam in homine, qui cognoscit, se esse naturae et mentis synthesin (Vereinwesen von Geist und Natur), illae categoriae et mentis et naturae immutandae sunt.

Transeamus ad deum. Quomodo autem venimus ad ideam dei, quae idea simul cum cogitatione: ego exoritur? Mens

non potest, quin, simulut se ipsam cogitat, etiam cogitet, se esse principium, quod naturam receptive-spontaneam habeat. Itaque mens negat, se esse absolutam; qua de causa necesse est, eam se ipsam transscendere et principium absolutum ponere. Quum enim mens neget, se esse principium absolutum, realitatem suam ea sola conditione tenere potest, ut hanc negationem iterum neget et principium absolutum ponat. Si igitur mens deum et suam relationem ad deum cogitat, non phaenomena ad principium sed principium ad principium refert. Itaque non potest, quin deum esse *creatorem*, se autem esse *creatam* cogitet. Nam per emanationem ex deo oriri non potest, quum necesse sit, ens, quod modo emanationis e deo exortus est, etiam divinae naturae particeps esse, quam mens de se prorsus negat. Quum autem a deo proficiscatur, nihil aliud restat, quam ut cogitemus, mentem esse primitus *ideam dei*, quae idea entis absoluti *negatio* est. Mens igitur eo *est*, quod deus illi ideae realitatem dat, quod idem est ac creatio. Ideam autem *negationis* sui ipsius deus habere non potest, quin *sui ipsius* ideam habeat vel sui ipsius conscius sit. Quum autem necesse sit, nos cogitare, deum esse principium absolutum, quod sui ipsius conscium est, etiam ceterae omnes categoriae ad deum cognoscendum nobis adhibendae sunt. Sed non minus manifestum est, rem ipsam postulare, ut categoriae ea sola conditione ad deum adhibeantur, ut *immutentur*. Nam dei vitam describentes absoluti principii manifestationem describimus. Ad propositum nostrum sufficit, quod significavimus, categorias, quas mens in se invenit, ea conditone, ut immutentur, quatenus principium absolutum postulat, etiam ad deum transferri posse. Ipsam dei manifestationem describere omittimus.

Ostendimus igitur, categorias mentis ad cetera omnia principia cognoscenda adhibendas esse. Nihilominus et mentis et naturae et hominis et dei propriae categoriae ponendae sunt. Itaque eo, quod diversitatis illorum principiorum rationem non habemus, universales cogitationes principii, causalitatis et ce-

terae exoriuntur, quas lingua vernacula appellamus: Allgemeine Stammbegriffe. Ex sententia Kantii categoriae primitus universales notiones intellectus sunt, unitatis formae, quibus varietas intuitionum ad unitatem conscientiae redigatur. Quum categoriae primitus universales notiones, inanes formae sint, quae in intellectu a priori insunt, materiam vel objectum requirunt, quod intuitione praebetur. Nos autem ostendimus, categorias esse formas, in quibus sui ipsius conscientia fit. Deinde autem demonstravimus, eas etiam ad cetera omnia principia adhibendas esse.

Kantius existimat, secundam categoriarum notam esse necessitatem. Sed notio, quam Kantius de necessitate habet, ea est, qua fieri non possit, ut categoriae immutentur (modificirt werden).

Ex nostra sententia necessitas categoriarum pendet ex earum *firmitate* (Gewissheit); mens enim omnis firmitatis fons est et quidem ea ex causa, quod se ipsam cogitat vel quod non in phaenomenorum cogitatione manet sed eorum reale et causale principium cogitat. Itaque etiam *categoriae* mentis *firmae* sunt, si intelleximus, eas esse cogitationes, quae cogitatione: ego, quippe quae sit cogitatio de ente, continentur. Sin mens cum omni firmitate cogitat, se esse phaenomenorum suorum reale et causale principium, cum eadem firmitate etiam alia phaenomena ad alia principia refert et eorum categorias cognoscit. Postremo, quum dei et mentis ideae contradictorie sibi oppositae sint, fieri potest, ut a mente etiam dei categoriae cum omni firmitate inveniantur. Sed sicut in conscientia mei ipsius stare non possum sed me ad absolutum ens, quo positus sum, necessario refero, ita etiam in ea firmitate, quam mei ipsius conscientia efficit, acquiescere non possum sed necessario firmitatem, quae mei ipsius conscientiae propria est, cogitatione dei stabilio (sichere) ideoque etiam firmitas, quae inest mentis categoriis, dei categoriis stabilitur.

Cum qua firmitate necessitas categoriarum arctissime cohaeret. Kantius categoriarum necessitatem, nulla ratione firmitatis

habita, posuit. Ex nostra autem sententia nullo modo necessitas categoriarum intelligi potest, quin earum firmitatem cognoverimus. Nam categoriae ex cogitatione: ego, qua ens cum firmitate scitur, oriuntur. Itaque necessitas categoriarum pendet ex earum firmitate et eo intelligitur, quod demonstratur, eas esse leges secundum quas *ipsa principia* se manifestent.

Summa igitur disquisitionum nostrarum haec est: Kantius cogitationis: ego vim naturamque non penitus intellexit. Itaque non mirandum est, quod etiam ejus de categoriis doctrina probari non potest. In hoc quidem Kantium sequimur, quod existimamus, categorias a priori, id est, e mente ipsa originem ducere. Sed mens ex nostra sententia est ens, quod se ipsum phaenomenorum suorum reale et causale principium cogitat; relationes autem inter phaenomena et ens sunt categoriae. Itaque categoriae non ex formis judiciorum logicorum deducendae sunt sed ex cogitatione: ego, qua ens reale et causale cogitatur. Deinde manifestum est, categorias non esse formas, quarum immediatum objectum est natura, sed mens se ipsam his cogitationibus cogitat.

Praeterea negandum est, categorias ad *phaenomena* tantum adhiberi posse; categoriae sunt formae entis. Denique tum, quum ego me ipsum et quidem cum ea firmitate, quae menti propria est, cogitavi et categorias meas cum omni firmitate inveni, etiam cum eadem firmitate categorias ad cognitionem ceterorum omnium principiorum adhibere possum, sed tamen ita, ut immutentur, quatenus principiorum diversitas postulat.

Quanti momenti autem nostra de categoriis doctrina sit, facile intelligi potest. Nam ea efficitur, ut diversa principia agnoscere et monismum vel pantheismum, qui Kantii de categoriis doctrinam necessario sequitur, evitare possimus. Kantius existimavit, mentem nihil aliud esse nisi subjectum, cujus objectum esset natura et categorias habuit cogitandi formas, quae a priori menti inhaererent et multas atque varias intuitiones ad unitatem conscientiae conjungerent. Mox autem intellectum est, illum dualismum, quem Kantius statuit, tenen-

dum non esse, subjectum et objectum non *diversa principia* sed *unius* tantum principii diversas *manifestationes* esse; qua de re ille dualismus in monismum mutatus est. Illa autem doctrina, quam nos de cogitatione: ego et de ratione, qua categoriae ex cogitatione: ego exoriuntur, proposuimus, monismum vel pantheismum funditus evertit. Ea efficitur, ut principia *essentialiter* diversa agnoscere possimus. *Proprias* mentis, *proprias* naturae, *proprias* dei categorias ponimus; contingit igitur nobis, ut monismum vel pantheismum evitemus atque *mentem et naturam, deum et mundum essentialiter esse diversa* cognoscamus. Itaque nostra doctrina eam philosophandi rationem quae fidei christianae inimicissima est evertit et illa vera quae fundamenta fidei christianae sunt stabilit atque confirmat.

---

## Scriptoris vita.

Natus sum Ludovicus Gerkrath Coloniae Agrippinae anno h. s. tricesimo secundo patre Antonio Augustino matre Elisabetha e gente Koehler e quibus mater morte mihi erepta est. Decimum annum agens adii gymnasium Coloniense quod Birnbaumio rectore floret, unde maturitatis testimonio munitus a. MDCCCL ad hanc almam litterarum unisitatem me contuli studiis theologicis et philosophicis me daturus. Auctumno a. MDCCCLII Berolinum petii, unde vere a. MDCCCLIII Bonnam redii. Bonnae audivi docentes hos viros clarissimos: Aschbachium, Bernaysium, Brandisium, Clementem, Dieringerum, Freytagium, Hilgersium, Knoodtium, Loebellium, Plückerum, Ritschelium, Ritterum, Schaaffhausenium, Scholzium, Welckerum; Berolini cll. Benekium, Micheletum, Trendelenburgium, Werderum. Quorum omnium virorum de me meisque studiis optime meritorum gratissima mihi semper erit memoria; praecipue autem gratias quas debeo maximas ago praeceptori carissimo Petro Knoodtio, qui non solum egregia scholarum institutione sed etiam saluberrimis consiliis studia mea valde adjuvit.

## Sententiae Controversae.

I. *Dubitatio Cartesiana non ea est, qua cetera omnia principia praeter mentem tollantur.*

II. *Tantum abest, ut Spinoza systematis Cartesiani perfector habendus sit, ut Cartesii principium: „cogito ergo sum" prorsus destruxerit.*

III. *Quamquam Leibnitzius Spinozae systema, quod pessimae notae doctrinam appellavit, prorsus evertisse sibi visus est, tamen jure Lessingius eum Spinozistam habuit.*

IV. *Falso negat Jacobius, fieri posse, ut deum esse demonstremus.*

V. *Errant, qui Hegelio auctore dicunt, fieri posse, ut id principium, quod in multas partes dividitur, ad sui ipsius conscientiam perveniat.*

VI. *A mente spatium abjudicari nequit.*

VII. *Ea sententia, quam Ritterus (hist. philos. II. 363-378) de Platonis materia proposuit, abjicienda est.*

VIII. *In Lucretii l. V v. 923 falso scribit Lachmannus: „sed v i s quaeque suo ritu procedit."*